GODEFRIDUS ADMONTENSIS
Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 19v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift



pura et byssо epulabatur cottidie splendide. hoc est. quando mortificata carne cum uiciis et concupiscentiis ascendere plerumque potuit in dulcedine orationis. ad gratiam contemplationis. Sed quia bona recepit in uita sua. hoc est. quia dona diuinitus sibi collata quasi sua reputauit. magisque suam quam dei gloriam pro eis quesiuit. eadem bona que acceperat. male gloriando perdidit. At ubi miserante deo paupertatem suam recognoscit. et humiliter mendicare incipit. factum est in eo uespere et mane. dies secundus. Quid per uesperam nisi cognitio sui. quid per mane. nisi cognitio dei ualet intellegi. Cognoscit semetipsum. quod uidelicet nil boni propriis uiribus habere poterit. cognoscit deum. a quo habuit bona que inaniter perdidit. Sicque fit. ut per hanc humilem cognitionem dei et sui. dies fiat secundus. id est secundo diuina inspiratione illuminatus. purpuram et byssum recipiat. iterumque splendide cum deo epulari ualeat. Ad hanc cognitionem sui et nostri. perducat nos unigenitus filius dei. ihesus xpc dominus noster. Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia secula seculorum. Amen.

Dominica tercia.
Lucam.

Erant. Appropinquantes ad ihesum publicani et peccatores. ut audirent illum.

Omelia lectionis eiusdem.

Septem. Iste dominice quas nunc celebramus. septem illis diebus in quibus deus celum et terram creauit. satis in mysterio ut mihi uidetur congruere et concordare uidentur. Ibi quid die tercia dominus fecerit uel dixerit legimus. et factum illud diei tercie. huic dominice tercie et euangelio congrue satis aptari potest. Dixit die tercia deus. Congregentur aque que sub celo sunt